

Exteriori orbe immobilis 30 gradum Aquarij, medium scilicet motum Saturni tempore dato. Sed sextans ille è mobili rotula ablatus, circa characterem Saturni ostendit 6 gradum albæ regionis, qui designat indicem mobilis rotulæ per 6 gradus esse anticipandum, hic demum peruenit ad 24 gradum xx . His ita immotis, centri filum super 20 diem Iulij extendo, quod indicat inter 12 signa mobilis rotulæ 13 gradum m argumentum medium Saturni. Iam tandè indicem uolubilis rotulæ pono super 13 gradum m in signifero epicycli, & filum centri super punctum Saturni in uolubili rotula depictū, id in exteriori orbe immobilis rotulæ indicat 25 gradum xx , uerum uidelicet motum Saturni tempore proposito. Cumq; argumentum eius medium, scilicet 13 gradus m , inuentus sit in inferiori arcu epicycli, retrogradus erat.

¶ Eiusdem de motu Iouis Exemplum.

TEMPORIS dati scilicet anni 1522 currentis, 20 diei Iulij, quæram medium uerumq; Iouis motum. In tabula igitur radicum Iouis circa annum 1522 offertur v 11 gradus, radix nempe Iouis anni dati, super quam extendo filum centri. Deinde in tabula mensium quæro 20 Iulij diem, quem cum non inueniam circa 19 Iulij 16 gradus, circa 30 uero eiusdem 17 gradū reperio. Iudico itaq; medium Iouis ad 20 Iulij esse 16 adhuc graduum, quemadmodum & 19 Iulij. Hos quoq; 16 gradus sub A litera in mensium tabula inuenio, quos in mobilis exteriori ambitu rotulæ post A literam reperio, eosq; dirigo sub filum centri, quod situm est ad radicē Iouis anni propositi, & index mobilis rotulæ, in immobilis rotulæ signifero, indicat 27 v medium motum Iouis dato tempore. Cumq; centrum 4, quod est in sextante è mobili ablato, incidat in 5 gradū albæ regionis, index mobilis rotulæ per 5 gradus est anticipandus, qui tum 22 v indicat. Has itaq; rotulas sic immotas custodio, & filum centri protraho ad 20 Iulij diem, id in signifero mobilis rotulæ ostendit medium Iouis argumentum in 15 gradu v . Iam indicem uolubilis rotulæ pono super 15 gradum v in orbe epicycli repertū, filumq; centri applico puncto 4 in uolubili rotula signato, & ostendit 20 gradum v in exteriori immobilis rotulæ orbe, uerum nempe Iouis motum dato tempore. Eumq; esse retrogradum, indicat argumentum medium in inferiori parte epicycli repertum.

¶ Medius uerusq; Martis motus inuestigandi sunt.

Medius uerusq; Martis motus eadem penè ratione quæritur, quemadmodum & Saturni ac Iouis, præterq; quòd minuta proportionalia circiter 7 aut 8 gradus motui eius uero adijcere, aut ab eo demere possint. Si itaq; mediū eius uerūq; secundū doctrinā primi canonis de inquisitione motuū Saturni ac Iouis, p minuta propor-